

formula illa *ut impletur scriptura*: testimonium vero Irenaei, ut modo diximus, commode accipi potest de vero implemento verborum Ex. XXXIII, 20, ideoque sententiae nostrae non officit. Auctores vero N. T. passim graviozem illam alligandi formulam usurpant, ubi cum verbo *implere*, particula *ut*, *ἵνα* vel *εἰς* coniungitur, ut, ex. gr. Matthaeus I, 22, II, 15, 17, 23, IV, 14, VIII, 17, XII, 17, XXVII, 35, Iohannes XII, 38-40, XIII, 18, XV, 25, XVII, 12, XIX, 28-36 seq. et alibi.

Haec si attente perpendantur sufficere videntur ad ostendendum non posse adversarios nostrae sententiae certo stabilire in usu loquendi Hebraeorum, ea aetate, qua Apostoli scripserunt, praedictas formulas usurpatae fuisse in sensu lato et improprio, ubi de mera accommodatione agebatur, non de vero prophetiae alicuius implemento.

Haec sufficiant de hac quaestione; simulque de universa generali tractatione de variis Scripturae sensibus.

PARS SECUNDA

DE SENSU SCRIPTURAE INVENIENDO

PRAENOTANDA

Declaratis iis quae pertinent ad varios sensus in Scriptura existentes, vel qui ei tribui possunt, veniendum nunc est ad normas tradendas quae ad ipsam Scripturam interpretandam necessariae atque utiles iudicari debent, quod Hermeneuticae biblicae proprium est ac formale obiectum. Quoniam vero, ut superius animadvertimus, duo sunt omnino praestanda interpreti, et sensum *invenire*, et inventum convenienter aliis *proponere*, in hac secunda Parte de sensu *inveniend*o nobis agendum est.

Multa sunt, et fere innumera subsidia quae interpretem adjuvare possunt in *inveniend*o sensu S. Scripturae. Ne igitur absque finibus vagetur tractatio nostra statim distinguimus subsidia *remota*, a subsidiis *proximis* et *directis*. Haec sunt proprie *criteria* ac *regulae* interpretationis, quae scilicet rite adhibita docent et aperiunt Scripturae sensum, illa vero, seu subsidia *remota*, non aperiunt proprie alicuius loci sensum, sed tantum disponunt interpretis mentem animumque ut facilius, ope regularum, sensum Scripturae intelligat (1). Nobis agendum erit de subsidiis *proximis*, et *directis*, seu de ipsis *criteria* ac *regulis* interpretandi; de *remotis* autem subsidiis, seu dispositionibus satis erit hic in antecessum pauca adnotare.

(1) P. Patrizi haec quoque appellat *regulas*. Nam in op. cit. lib. I. cap. V. exponit *regulas remotas* interpretationis literalis: et sub hoc titulo enumerat *pietatem, humilitatem, orationem, cognitionem linguarum et scientiarum naturalium*, et alia huiusmodi, quae nobis videntur minus congrue appellari *regulas* interpretandi, et opportunius vocari posse *subsidia* *remota*, seu *dispositiones*. Regulas autem vocabimus ea praeepta, quae proprie docent quinam sit in singulis locis Scripturae sensus.

Itaque dispositiones istae quae *subsidia remota* appellavimus, aliae pertinent ad *intellectum*, aliae ad *voluntatem*. Ad intellectum quod attinet, nemo potest tuto ad Scripturas interpretandas accedere aliarum scientiarum omnino seivnus, ac praesertim Philosophiae, ac Theologiae, quarum notitia ad rectam Scripturae interpretationem omnino requiritur, ut ex rei natura evidens est. Praesupponenda quoque est cognitio Introductionis criticae in S. Scripturam, quam ideo Exegeticae seu Hermeneuticae praemisimus, ut suo loco declaratum est. Multum etiam confert ad interpretationis negotium promovendum notitiam liberalium artium, item cognitio historiae ac geographiae antiquae, nec non linguarum praesertim orientalium. De his tamen aliqua dicenda erunt etiam in expositione regularum in Sectione 1^a huius Partis. Et generatim quidem affirmari potest, eo facilius interpretem muneri suo satisfactorum esse, quo maiori doctrina, eruditione, et cultura literaria ac scientifica instructus erit, dummodo tamen cetera non desint, et imprimis dispositiones morales de quibus mox dicturi sumus. Naturales etiam dotes hic praesupponi apertum est, imprimis acre ingenium, solidum ac maturum iudicium cum prompta ac tenaci memoria, quae si absint non possunt praeceptis et arte hermeneutica suppleri, ut pulchre notat Augustinus in Lib. II De Doctr. Christ. c. 9. — Haec quidem de intellectu.

Ex parte autem voluntatis dispositiones quaedam morales praerequiruntur, sine quibus studium Sacrae Scripturae non solum facile non esset, aut utile, sed neque tutum, imo periculi plenum. Quod enim de Verbo Dei incarnato dictum est, etiam de eius verbo scripto verum esse invenitur, illud scilicet positum esse in ruinam multorum, et in petram scandali, in quam scilicet impingunt qui animo non recte disposito ad illud scrutandum accedunt. Sancti Ecclesiae Patres de his animi dispositionibus praedare loquuti sunt, praesertim Hieronymus, Augustinus et Bernardus. Imprimis igitur requiritur animus a vitiis liber, et perversis motibus imperans eum scriptum sit: « Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur » (1 Cor. II, 14). Qua de re apte scribit Cassianus in *Lib. de spir. gastr.* c. 34: « Ideo tanta varietas errorumque inter tractatores (S. Scripturae) ipsos exorti sunt,

quod plerique minime erga *purgationem mentis* adhibita diligentia, prosilientes ad interpretandum eas, pro pinguedine vel immunditia cordis sui diversa atque contraria vel fidei vel sibimet sentientes veritatis lumen comprehendere nequiverunt. » Tum vero fides, pietas, et amor rerum coelestium, reverentia, et Christiana animi demissio ad hoc studium necessario afferendae sunt: « Quo enim spiritu, inquit S. Bernardus, Scripturae factae sunt, eo spiritu legi desiderant, ipso enim intelligendae sunt. Numquam ingredieris in sensum Pauli donec usu bonae intentionis in lectione eius, et studio assiduae meditationis spiritum eius imberis. Numquam intelliges David, donec ipsa experientia ipsius Psalmorum indueris affectus » (Epist. ad Fratres de Mont. Dei); et S. Augustinus in Lib. de Utilit. cred. « Amari, inquit, prius debet Scriptura quam disci: unde a multis, quia aut oderunt, aut non amant, ea non intelligitur. » Praeclara etiam de his habet S. Doctor in Libris de Doctrina Christiana, ubi pie, et sapienter declarat quomodo per virtutes tanquam per gradus ad istam Sapientiam perveniatur (Lib. II, c. 7); quod brevius hisce verbis enunciat in Lib. I, c. 40: « Cum quisque cognoverit finem praecepti esse charitatem de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, omnem intellectum divinarum Scripturarum ad ista tria relatus ad tractationem illorum Librorum securus accedat. » Ad humilitatem vero spectat quod legitur Prov. XI, 2: « Ubi autem est humilitas tibi et sapientia, » et de eadem dispositione ad Scripturas facilius et sine periculo intelligendas Augustinus in L. II, de Doctr. Chr. c. 41: « Divinarum, inquit, Scripturarum studiosus cum ad eas perscrutandas accedere coeperit illud Apostolicum cogitare non cesset: *scientia inflat, charitas aedificat*. Ita enim sentiet, quamvis de Aegypto dives exeat, tamen nisi Pascha egerit salvum se esse non posse. *Pascha autem nostrum immolatus est Christus*: nihilque magis immolatio Christi nos docet quam illud quod ipse clamat tanquam ad eos quos in Aegypto viderit laborare: *discite a me, quia mitis sum et humilis corde*. » Quoniam vero tum ipsae praefatae dispositiones a divina gratia pendunt, tum in genere certum est: *omnem sapientiam a Domino Deo esse* (Eccli. I, 1) nihil est ad quod sancti Patres tum verbis, tum exemplo suo magis Scripturarum studiosos hortentur, quam ut suppliciter a Deo lumen

postulent: *oratio* igitur studio adiungenda est. Hanc passim suis interpretationibus miscet Augustinus in *Confessionum* libris, ubi de difficilioribus Scripturae locis disputat, hanc Hieronymus frequentabat in sua Palaestinesi solitudine aliorum etiam orationibus adiuvari saepissime postulans, hanc S. Thomas adhibuisse narratur, addito etiam in difficilioribus locis enodandis ad orationem ieiunio, hanc Cassiodorus, et Bernardus monachis suis in Scripturis meditandis commendabant, idque omnibus Scripturarum studio generatim commendandum esse docet Augustinus in L. III. de Doctr. Christ. c. 37: « Non solum, inquit, admonendi sunt studiosi venerabilium literarum, ut in Scripturis sanctis genera locutionum sciant, et quomodo apud eas aliquid dici soleat vigilanter advertant, memoriterque retineant, verum etiam, quod est praecipuum, et maxime necessarium, *orent ut intelligant.* »

Et haec quidem de subsidiis *remotis*, seu dispositionibus.

Subsidia vero *proxima et directa* ad sensum Scripturae inveniendum sunt ipsa *criteria* ac *regulae* Hermeneuticae, de quibus nunc nobis diligenter tractandum est (1).

Consulto autem distinximus *criteria a regulis* licet a multis confundantur ut synonyma. *Criterion* enim interpretationis proprie est illud omne, cuius consideratio aperit sensum S. Scripturae, eiusque ostendit interpretationem, *regula* vero est proprie lex, vel praeceptum quod criterii alicuius rectum usum inculcat, eiusque practicam docet applicationem. Hinc est quod *criteria hermeneutica* pauca omnino sunt, *regulae* autem plurimae.

(1) Quaeri posset an hic agatur de solo sensu *literalis* inveniundo, an vero de omnibus Scripturae sensibus. Tractatores Hermeneutices biblicae regulas interpretationis tradere videntur pro solo sensu *literalis*, de mystico autem seorsim pauca observant. Imo P. Patrizi in op. cit. Lib. I. c. 4 aggressus tractationem regularum hermeneutarum, illam absolute inscribit: *Regulae interpretationis literalis*. Huius rei ratio esse videtur, quod revera sensus *literalis* sit praecipuus et generalis totius Scripturae sensus, in quo proinde inveniundo praecipue adlaborare debet interpres, adhibitis regulis hermeneuticis. Nobis visum est ab hac distinctione abstinere, et tractationem proponere generalem de *sensu Scripturae inveniundo*, nulla facta distinctione inter sensum *literalem*, et *mysticum*. Quamvis enim de ratione inveniendi sensum *mysticum* satis multa dixerimus pro data opportunitate in superiore Hermeneutices parte, multa tamen quae in hac altera Parte dicturi sumus ad utrumque sensum aequae pertinent, imprimis ea quae in Sectione II. trademus de dogmaticis interpretationis regulis.

Ut autem ordine procedamus, sequentem divisionem tractationis sequemur ex ipsa subiecti natura desumptam. Recolendum est quod diximus et demonstravimus in Introductione Critica, scilicet S. Scripturam duplici characterem insignitam esse, duplicemque valorem habere, *humanum* nempe et *divinum*, est enim opus humanum quatenus ab hominibus et pro hominibus, et more loquendi hominum exaratum est; *divinum* autem quatenus, Deo inspirante conscriptum, Deum habet auctorem. Ex hoc autem statim sequitur ad intelligendos et interpretandos Scripturae Libros ex una parte adhibenda esse ea *criteria* easque *regulas* quae in hominum scriptis ac sermonibus interpretandis adhiberi solent, ex alia parte hasce *regulas* non sufficere, sed alias quoque esse applicandas. Non enim decet Dei verbum iis tantum regulis metiri quae verbum humanum respiciunt, et multa proculdubio consideranda, et cavenda sunt in Libris Divinis tractandis quae in libris mere humanis locum non habent. Duo igitur ordines *criteriorum* et *regularum* distinguendi erunt pro duplici respectu et characterem S. Scripturae. Primi ordinis *criteria* appellabimus *Rationalia*, quia in principiis humanae rationis fundantur, et a sana ratione suggeruntur: secundi ordinis *criteria* vocabimus *Dogmatica*, quia in dogmatibus revelatis fundantur, et ab iis descendunt (1). De utrisque distinctis Sectionibus agemus. Quibus absolutis, addemus tractationem de falsis quibusdam interpretationis biblicae criteriis, ac methodis a Rationalistis praesertim excogitatis, quorum refutatio maiorem lucem affundet universae Hermeneuticae, et ad soliditatem et veritatem Catholici systematis aestimandam, et vindicandam non parum conducet. Haec igitur erit divisio huius secundae Partis in tres Sectiones, quarum I^a tradet *criteria* et *regulas* *rationales* ad Scripturae sensum inveniendum II^a complectetur *regulas dogmaticas* (2); III^a disputabit de praecipuis falsis regulis et methodis interpretandi S. Scripturam.

(1) Placuit multis primi ordinis *regulas* appellare *universales*. Quod minus accuratum videtur, ideoque praenominis appellationem *rationalium*. Si enim ex una parte haec *regulae* a sana ratione suggeruntur, non sunt tamen huiusmodi ut possint semper *universis* humanis libris applicari: Scriptura enim etiam considerata sub respectu humano multa habet sibi propria quae non possunt per generales interpretandi leges semper defini.

(2) Nonnulli recentiores biblici scriptores tractationem de regulis *rationalibus* vocant *Hermeneuticam Rationalem*, eam vero, quae est de regulis

SECTIO I.

DE CRITERIIS ET REGULIS RATIONALIBUS
INVENIENDI SCRIPTURAE SENSEM

Criteria rationalia vocavimus illa quae sacrae Scripturae Libros respiciunt sub eo respectu quo humani sunt, seu ab hominibus et more hominum conscripti. Ex hoc autem facile erit rationalem et philosophicam divisionem deducere ipsorum criterium in varias classes, quae huius Sectionis partitionem suppedabit. Quoniam enim hic Libros sacros consideramus quatenus humano modo exarati sunt, ad eorum sensum inveniendum oportebit ad ea attendere, quae humani sermonis sensum determinant, et aperiunt. Porro tria sunt quae humanum sermonem definiunt, et a quibus illius sensus pendet. Primum est *vocabulorum significatio*, seu usus linguae illius gentis, illiusque aetatis, in qua auctor scripsit, qui quidem ab ipsius auctoris voluntate independens est, et est elementum quasi obiectivum. Alterum est ille influxus quem mens auctoris exerit in ipsa vocabula ut in certa quadam compositione aliquam ideam determinatam seu idearum complexum significant: significatio enim vocabulorum potest plures modificationes subire pro vario modo quo ab auctore componuntur, pro varia eius intentione et scopo, unde *significatio* vocum a *sensu* auctoris differt, ut alias animadvertimus, et potest quis singula vocabula alicuius loci apprimè cognoscere quin tamen mentem auctoris, seu verum loci sensum intelligat; hoc igitur est elementum subiectivum ex *legibus cogitandi* dependens, et sermonis sensum determinans. Denique ipsa res quae ita intelligitur expressa ab auctore accuratius cognoscenda est, et supplendum illud quod auctor non expressit, sed lectoribus notum supposuit, alia quoque adiuncta externa in quibus auctor scribebat spectanda sunt; cum autem hic agatur de auctoribus antiquis, et de rebus parum nobis familiaribus in subsidium vocandae sunt *notitiae historicae*, seu aliunde petitae de natura, proprietatibus,

Dogmaticis appellant *Hermeneuticam Christianam*, et *Hermeneuticam Catholicam*. Cum tamen Hermeneutica proprie una sit scientia, quae illa omnia simul complectitur, malimus diversas illas tractationes appellare partes seu *Sectiones*.

et circumstantiis eorum quae ab auctore dicuntur, et de adiunctis in quibus scribebat, et hoc est elementum extrinsecum quidem, sed ad plenam intelligentiam auctorum necessarium. Primum elementum appellari potest *philologicum*, alterum *logicum*, tertium *historicum*, quibus respondent totidem classes criteriorum et regularum rationalium, quas iisdem nominibus distinctas tribus capitibus separatim trademus.

CAPUT I.

DE CRITERIIS ET REGULIS PHILOLOGICIS

Criteria philologica revocantur ad *usum loquendi*, cuius cognitio manifeste necessaria est ad quemcumque auctorem intelligendum, et a qua necessario incipiendum est; frustra enim quis tentaret librum aliquem interpretari nisi linguam noverit qua ipse liber scriptus est. De hac tamen re multa quaeri possunt tum in genere tum in specie, ac plures regulae et animadversiones tradendae sunt ut quis hoc criterio recte uti possit in Scripturarum interpretatione. Quapropter ut ordinate in re satis implicata progrediamur, visum est tractationem in quatuor articulos dispescere, sequenti ordine: I° dicemus de usu loquendi *generatim* sumpto, II° de usu loquendi *biblico directe considerato* in Textibus originariis S. Scripturae. III° De usu loquendi *biblico indirecte considerato* in Vulgata Latina, seu quatenus peculiaris loquendi usus sacrorum Scriptorum ex parte saltem conservatus est in versione Latina, in qua plerique Scripturam legere solent. IV° Addeamus specialem tractationem de *tropis, et figuris*, quibus abundant Libri Sacri, et in quibus rite cognoscendis et explicandis non minima pars difficultatis usus loquendi biblici continetur (1).

(1) Conabimur in hac tractatione mediam viam tenere inter antiquiores biblicos scriptores qui philologicae eruditioni non satis tribuisse saepe videntur, et recentiores plerosque qui plus quam par est ei concedunt. Non solum enim rationalistarum libri de re hermeneutica, sed plurium etiam Catholicorum, qui recenter de Scripturarum interpretatione scripserunt immodice in philologica tractatione versantur, et maximam fore hermeneuticae rationalis partem in exponenda linguae Hebraicae, et Graecae indole, proprietatibus, fontibus, subsidiis operosissime impendunt. Conabimur itaque mediam

ARTICULUS I.

DE USU LOQUENDI UNIVERSIM SUMPTO

Usus loquendi definiri potest: « *Modus constans et uniformis, quo gens aliqua, certa quadam aetate, cogitationes suas verbis manifestat* » vel aliis verbis: « *Nexus inter cogitationes et certa signa, seu voces usu receptus ac formatus.* » Constantia illa qua pollet usus loquendi tanta non est ut idem usus multis variationibus non sit obnoxius, quibus omnino attendere debet qui vult ex usu loquendi intelligere singulos libros praesertim antiquos. Oportet igitur de his aliqua exponere; nam ex harum notitia fit ut quis usum loquendi cognoscat modo omnino determinato et concreto prout invenitur in auctore vel libro quem interpretari vult. Mutationes istae possunt ad quasdam classes revocari iuxta varias causas a quibus oriri solent. Sequentes igitur causae mutationum usus loquendi a philologis et criticis numerari solent.

1^o *Diversitas temporum.* Omnes sciunt decurrentibus saeculis voces quasdam obsolescere, alias novas induci, aliarum significationem plus minus immutari, unde canebat Horatius:

Nulla renascuntur quae iam cecidere, cadentque
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, et ius et norma loquendi.

Ita apud Latinos, et in linguis cognatis vox *tyrannus* primum significavit principem, regulum, deinceps transit ad significandum eum qui despotice, et inhumane aliis dominatur; ita vox *imperator* quae primitus ducem exercitus designabat postea Romanos Caesares speciatim significavit; Tullius in Lib. 1 de officiis c. 13 idem docet de vocabulo *hostis*: « Hostis enim, inquit, apud ma-

viam tenere: nolimus enim harum rerum iocunos esse tyrones, sed nec volumus Hermeneuticam sacram in grammaticam aut rhetoricam convertere. Quid autem sentiendum sit de Iahnii aliorumque opinione asserentium: *usum loquendi esse primum, et supremum interpretationis biblicae principium*, videbimus in Appendice Sectionis II. ubi de supremo hermeneutices principio disputabitur.

iores nostros is dicebatur quem nunc peregrinum dicimus. . . . Quamquam id nomen durius iam effecit *vetustas*; a peregrino enim iam recessit, et proprie in eo, qui ferret arma contra, remansit. » In aliis linguis exempla plurima et obvia sunt. Neque ab hac lege immunes fuerunt linguae biblicae. Quamvis enim Hebraica ob specialem linguarum Orientalium tenacitatem multo minus hisce mutationibus obnoxia fuit quam temporis diurnitas secumferre debuisset (a Moysi enim libris ad Prophetiam Malachiae duodecim ferme saeculorum spatium intercessit); quasdam tamen mutationes passa est, ita ut in Pentateucho non pauca occurrant obsoleta et antiquata quae in posterioribus Libris non leguntur, ut alias adductis exemplis ostendimus, contra vero in posterioribus Libris multa nova vocabula, novaeque formae imprimis Aramaicae paulatim inductae fuerunt, quae maxime observantur in Libris Ieremiae, Danielis et Esdrae. Graeca autem lingua N. T. parum ex hac causa immutari potuit cum omnes Libri N. T. intra spatium 50 annorum circiter exarati fuerint.

2^o *Diversitas locorum et regionum.* Non solum enim in diversis populis diversae sunt linguae, sed in una eademque lingua nonnihil varietatis in diversis provinciis, ac locis observatur. Notae sunt quatuor dialecti graecae linguae quae inter se non parum differunt, a quibus tamen omnibus distinguitur dialectus Iudaeo-hellenistica qua Libri N. T. conscripti sunt. Huc pertinent etiam Cilicisimi, seu idiotisimi proprii provinciae Ciliciae, ubi Paulus ortum habuit, quos in eius Epistolis deprehendi affirmat S. Hieronymus in epist. ad Algasiam quaest. 10.

3^o *Diversitas religionis, sectae, disciplinae.* Ex his enim peculiare voces, formae, et modi loquendi oriri solent. Ita verbum *facere* in usu religioso idem est ac sacrificium offerre, quod etiam in respondenti verbo hebraico *עשה* locum habet (cfr. Lev. IX, 6, 16, Num. XXVIII, 24); idem dicas de vocibus *praedestinatio*, *incarnatio*, *agape*, *peccatum*, et aliis pluribus quae in N. T. ex instituto religioso peculiarem significationem adeptae sunt paulo diversam ab ea quam in communi sermone praeseferunt. In Evangelis, et in Epistolis Pauli quaedam occurrunt phrasae quae propriae erant sectae Pharisaeorum, ut videbimus in sequenti articulo.

4^o *Diversitas formae Reipublicae civilis vel Ecclesiasticae, unde*

peculiares significationes subinde vocibus quibusdam affingi solent, ita vox *pastor*, *pascere* in N. T. peculiari significatione accipitur de Episcopis, eorumque potestate ac munere. Hoc pertinent etiam appellationes illae frequentes in Evangeliiis: *Scribae*, *legisperiti*; *principes sacerdotum*, *Pontifex anni illius*, *archisynagogus*, *seniores*, *sabbatum secundo primum*, et aliae quae explicandae sunt iuxta statum reipublicae et synagogae Hebraeorum aetate Christi: item voces *iudicium*, et *concilium* in celebri illo testimonio Christi Domini Mat. V, 22. « Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit *iudicio*; qui autem dixerit fratri suo: *raca*, reus erit *concilio*; qui autem dixerit: *fatue*, reus erit *gehennae ignis* » ubi voces *iudicium*, et *concilium* accipiuntur in significatione prorsus speciali ac technica pro duobus tribunalibus inferiore et superiore tunc apud Iudaeos existentibus pro diversa criminum natura et gravitate.

5° *Mores, ritus, consuetudines* populi, influxum suum exercent in mutanda significatione vocum. Huc pertinent ex. gr. tropi, et figurae sermonis quae ex moribus populi desumuntur et iuxta eos explicandi sunt. Ita phrasid *osculari manum suam* Job. XXXI, 26, seq. significat *adorare*, quia Orientales adoraturi aliquem propriam manum osculantur; *contrahere manus* est cessare ab oratione quia manibus expansis orare solebant Hebraei; *fratres et sorores* sunt omnes propinqui, quia sic alter alterum compellere solebant.

6° Denique ipsius *scriptoris ingenium, character et peculiaris consuetudo* consideranda sunt, quia non parum influunt in usum loquendi, unde proprius uniuscuiusque auctoris stylus exurgit: qui nisi cognoscatur saepe, etiam lingua bene cognita, sensus obscurus manebit, aut non recte intelligetur. Ita apud Graecos ex. gr. Thucydides tot habet sibi propria ut Dionysius Halicarnasensis tractatum *de idiomatibus Thucydidis* conscripserit. Apud Latinos Ecclesiasticos scriptores Tertullianus ita peculiarem dicendi modum sectatur ut etiam Latine scientibus multas difficultates ingerat. Apud sacros Scriptores peculiare loquendi formae occurrunt praesertim apud Iohannem, et Paulum, ut alias vidimus.

Hae itaque de causis usus loquendi variatur, ac determinatur.

Quod attinet ad valorem huius criterii in libris interpretandis, si quaestio generatim ponatur, evidens est usum loquendi, seu potius eius notitiam esse unum ex fundamentalibus criteriis inter-

pretationis. Nemo enim potest libram intelligere ac interpretari nisi sciat linguam qua scriptus est. Verum ut hoc clarius intelligatur distinguimus tres modos, quibus usus loquendi considerari potest in ordine ad intelligendum et interpretandum aliquid scriptum; vel scilicet 1° *latiori sensu* pro usu loquendi illius gentis, et illius aetatis unde scriptum prodiit; vel 2° *strictiori sensu* pro usu loquendi peculiari et proprio illi auctori quem intelligere volumus; vel 3° *strictissime*, et in individuo, pro usu vel modo loquendi singulorum locorum quos interpretari volumus. Iamvero manifestum est cum loquimur de usu loquendi ut est criterium distinctum interpretationis non posse illum considerari tertio illo modo, seu in concreto et in individuo, sic enim consideratus iam supponit interpretationem factam, seu auctoris mentem iam cognitam; imo in hoc casu nec vocari potest proprie usus loquendi (1). Oportet igitur accipere usum loquendi primo modo seu pro lingua et modo loquendi totius gentis vel hominum classis ad quam auctor pertinebat, vel etiam secundo modo seu pro peculiari loquendi ratione illius auctoris quem interpretamur, dummodo tamen haec peculiaritas *constans* sit in illo auctore, et facile ex eius lectione dignoscatur, non autem pertineat ad unum vel alterum locum de cuius sensu nunc quaeritur. Hisc declaratis generalis regula est: « Vocabula et sententiae uniuscuiusque scriptoris accipiendae sunt iuxta eam significationem quam habebant apud eam gentem, et illa aetate ad quam scriptor pertinet, vel iuxta eum modum qui forte eidem scriptori proprius et familiaris est, nisi graves rationes aliunde petita contrarium suadeant. » Postrema verba huius formulae limites assignant, intra quos coercendum est criterium de quo loquimur. Usus enim loquendi non est unicum et independens interpretationis criterium, sed una cum aliis criteriis seu logicis seu historicis spectandum est, et ex omnium consideratione interpretatio faciendae, ut diximus cum de variis elementis loqueremur quae ad sensum humani sermonis determinandum concurrunt, et ut clarius apparebit in sequentibus Capitibus. Ceterum ubi alia criteria interpretationis non obstant recedere non

(1) Cum enim dicitur *usus* eo ipso indicatur non illud quod est singulare et individuum, sed quod est generale aliquo modo et commune, seu quod frequenter et plerumque fit.

oportet a consueta verborum significatione. Est autem hoc criterium tum *negativum*, tum *positivum*. Negativum quidem ad excludendam interpretationem falsam, scilicet: omnis interpretatio quae sine sufficienti ratione repugnat usui loquendi reiicienda est. Positivum autem ita: omnis interpretatio quam usus loquendi suggerit, si nihil obstat ex parte aliarum regularum, uti vera est habenda.

Postremo aliquid addendum est de ratione inveniendi seu adiscendi usum loquendi. Quae quidem quaestio licet videatur mere philologica, vel critica, magni tamen momenti est etiam in re hermeneutica: nam ex recta vel prava methodo, quam quis sequitur in usu loquendi investigando, recta vel prava interpretatio magna ex parte pendet, qua in re a recentioribus philologis multimode et gravissime peccatum est in Sacra Scriptura tractanda, ut postea videbimus. Quod pertinet igitur ad modum inveniendi usum loquendi, distinguendae sunt linguae vivae et adhuc vernaculae, a linguis mortuis et antiquis. Circa primum genus linguarum inutile esset de mediis eas addiscendi disserere, cum eas possimus ab eorum magisterio et consuetudine addiscere, qui eas linguis loquuntur inde a teneris annis. Si vero agatur de linguis mortuis et antiquis merito quaeritur undenam earum certam et accuratam notitiam nobis comparare possimus, cum nulli sint qui iis linguis nunc utantur, et in solis monumentis scriptis ac libris supersint. Inter multa media a criticis et philologis assignata quaedam sunt *primaria*, et proprie constituunt *fontes* unde hauriri potest notitia usus loquendi, alia sunt *secundaria*, quae potius *subsidia* quam fontes dicenda sunt.

1° *Fontes* itaque, nihil aliud sunt nisi *testimonia* fide digna, illorum scilicet, qui linguam, de qua quaeritur, callebant, et loquebantur, ac proinde de vocum et phrasium significatione testari potuerunt. Et merito quidem hi dicuntur *fontes* notitiae usus loquendi: nam quas notiones homines certae nationis et aetatis huic vel illi vocabulo aut phrasi adnectere soliti fuerint est quaestio facti, quae proinde per testes idoneos dirimenda est. Rursus autem fontes isti, seu testes dividi possunt in *immediatos* seu *directos*, et *mediatos* seu *indirectos*. Testes immediati et directi ad sequentes revocari possunt.

1°) *Scriptores illi qui eam linguam loquebantur*, de qua quae-

ritur, imprimis vero qui eadem prorsus aetate floruerunt ad quam pertinent auctores explicandi: quin imo ipsi isti auctores inter primarios hosce testes recensendi sunt. Siquidem isti omnes non raro vim et potestatem dictionum quas adhibent clare definiunt, adductis exemplis, adhibitis eorum synonymis, vel respondentibus vocibus alterius linguae. Ita de potestate vocum et phrasium latinarum quae a Cicerone adhibentur testimonium latinorum classicorum scriptorum in genere recipiendum est, imprimis vero eorum qui aeo Augusti floruerunt, et prae ceteris ipsius Tullii, qui in variis locis suorum operum puta in libris *de Officiis*, et *de Oratore* solet multarum dictionum significationem accurate, et subtiliter exponere.

2°) *Versiones, lexica, scholia, glossae, commentarii* aliaque similia opera ab auctoribus confecta qui lingua adhuc vivente floruerunt, eiusdemque voces vel omnes vel aliquas explicant. Huc pertinent ex. gr. opus Varronis de lingua latina, Auli Gellii *noctes Atticae*, Macrobii comm. in Somnium Scipionis. Haec quidem de fontibus immediatis. *Mediati* autem sunt

1°) *Traditio domestica* linguae iam demortuae. Exceptis enim casibus in quibus gens aliqua omnino deleta fuerit, linguae primaevae studium et notitiam apud doctos uniuscuiusque gentis conservari solet et fideliter transmitti ad posteros etiam diu postquam eadem lingua ab ore vulgi recessit, ut factum est ex. gr. de lingua Latina, et de veteri, seu classica Graecitate. Haec autem traditio potissimum per institutionem, et usum scholarum conservatur, vel etiam per usum religiosum et liturgicum si de lingua sacra sermo sit, ut factum est ex. gr. de vetusta lingua Sanscritica, de Arabica literali, et de Hebraica, Graeca ac Latina.

2°) *Scripta philologica ab iis exarata qui post linguam fatum vixerunt*, illius tamen notitiam accuratam et perfectam habuisse credendi sunt. Huc pertinent versiones immediae, imprimis illae quae literales ac serviles sunt, lexica a viris doctis confecta qui institutione scholari et maturo studio linguam profunde didicerunt, item scholia, commentarii philologici, denique opera grammaticalia et critica de linguae ipsius indole, proprietatibus, literatura etc.

Hi quidem sunt fontes tum immediati tum mediati unde hauriri potest cognitio linguae demortuae. Quos inter aliquod discri-

men auctoritatis, et utilitatis admittendum esse per se patet. Nam si auctoritas spectetur, maior ea est in testibus immediatis, quam in mediatis; rursus vero in variis testibus utriusque ordinis maior vel minor auctoritas pendet ex antiquitate, doctrina, diligentia aliisque dotibus uniuscuiusque. Si vero spectetur utilitas, seu practicus usus, paulo diversum ferendum erit iudicium. Practice enim ad linguam mortuam ediscendam maiorem et faciliorem usum praestant testes mediati et recentiores, quam immediati et coaevi (1); nam illi accuratius et subtilius indolem linguae investigarunt, et per longum et assiduum laborem, multorum simul accedentibus studiis, conati sunt plenioram notitiam illius linguae aliis tradere lingua eis vernacula, vel certe familiari, ut videre est in grammaticis et lexicis recentiorum ex. gr. Henrici Stephani pro lingua Graeca, et Forcellini pro Latina: dummodo tamen certum sit laudatos testes ex fontibus immediatis diligenter hausisse, quae tradunt, eaque fideliter exposuisse. Diversus quoque est singulorum testium usus pro maiori scilicet vel minori linguae notitia quae ex unoquoque hauriri potest. Et sub hoc respectu primum locum tenent *lexica* (quibus opera grammaticalia coniungenda sunt): in his enim non unum vel alterum vocabulum, aut quaedam tantum eius significatio explicatur, ut in glossis fieri solet, sed omnia linguae vocabula et secundum omnes vel praecipuas quas habere possunt significationes, idque ex generali et constanti usu non autem in casibus specialibus, et in particulari aliquo contextu, ideoque omnes linguae opes complectuntur. Secundum locum tenent *scholia* et *glossae* licet lexicis generatim antiquiores sint (2). Non enim omnia vocabala, omnesque significationes

(1) Quinimo ordinarie loquendo a testibus mediatis et recentioribus omnino incipiendum est; cum enim testes immediati et coaevi plerumque ea ipsa lingua scripserint quae nobis ediscenda est, impossibile esset eos consulere et intelligere nisi prius eiusdem linguae aliquam saltem notitiam hausserimus a testibus mediatis, qua notitia comparata, tum demum ipsos fontes immediatos adire licebit, ut ex eorum lectione et studio plenioram et accuratioram linguae cognitionem acquiramus.

(2) Hoc autem discrimen admitti solet inter *scholia*, et *glossas* proprie dictas, quod illa ipsum sensum auctoris exponant in locis difficilioribus iuxta contextum, historiam, rei naturam ceteraque hermeneutica subsidia; *glossae* vero proprie dictae potius significationem vocum obscuriorum breviter explanent.

explicant, sed eas tantum quae apud auctorem cui appositae sunt occurrunt; et insuper non solum usui loquendi iniuntur sed etiam contextui, aliisque adminiculis interpretationis. Succedunt tercio loco *commentarii* qui generatim loquendo glossis recentiores sunt, quamvis sub alio respectu possunt saepe illis anteponi, quod scilicet uberiorem philologicae eruditionis copiam contineant. Postremo loco veniunt *versiones*, quae licet antiquissimae sint, reliquis tamen fontibus postponendae sunt, saltem ordinarie loquendo. Versiones enim sensum textus originalis simpliciter referunt prout ex contextu, ex rei natura aliisque criteriis eruitur, et quidem servata proprietate linguae, in quam translatio facta est. Quare difficile est singulorum vocabulorum originalium vim et potestatem ex sola versione determinare. Praeterea aliud incommodum accidit quod saepe suspicio adest ipsam antiquam versionem decursu aetatum aliquatenus corruptam fuisse, aut incertum est an alias lectiones textus sequuta fuerit paulo variantes ab hodiernis ipsis textus exemplaribus. Et haec quidem de *fontibus*.

2° *Subsidia* vero philologica revocantur ad examen philosophicum ipsius linguae cuius usum quaerimus. Examen autem hoc complectitur comparationem ipsius linguae vel *internam* vel *externam*. Comparatio interna comprehendit *studium etymologiae*, et *analogiae linguae* ipsius: comparatio externa est collatio linguae cum aliis linguis, vel *dialectis affinis*.

Dicamus breviter de singulis.

Investigatio etymologica versatur in deducenda significatione *derivatorum* ex significatione *radicis*, et significatione *compositorum* ex notione *simplicium componentium*. *Analogiae* studium ad hoc revocatur ut ex significatione *formarum*, vel *loquutionum similium* statuatur potestas obscuriorum dictionum. Demum scopus *comparationis externae* hic est, ut vis et significatio alicuius vocis vel formae determinetur ex vi et significatione, quam habet eadem vel similis dictio in *linguis vel dialectis cognatis*. Dicuntur autem cognatae linguae vel illae, quae ex communi stipe ortum habent, ut, puta, linguae Italica, Hispanica, Lusitanica ex lingua latina, quae idcirco inter se comparatae linguae *sorores* vocari solent, vel illae quarum una ab altera procedit, ideoque *filiae* respectu linguae *matris* appellantur, ut ex. gr. linguae su-

perius memoratae in ordine ad linguam latinam. Si vero non solum cognatae et similes sint inter se, sed in substantialibus omnino convenienti, et tantum in quibusdam accidentalibus differant vocantur potius *dialecti* quemadmodum sunt ex. gr. quatuor praecipuae dialecti Graecae linguae, et intra fines linguae et regionis Italiae dialecti Veneta, Mediolanensis, Bononiensis etc.

De his internis, externisque *subsidiis* hoc primum statuendum est, non esse unice aut principaliter ex iis stabilendum usum loquendi (seu potestatem vocabulorum, et dictionum alienius linguae mortuae), sed secundo loco habenda esse, ut scilicet per ea confirmetur et illustretur usus loquendi per fontes illos primarios et externos superius memoratos iam inventus ac constitutus. Huius rei ratio est ea, quam superius innuimus, nempe quod quaestiones facti per testes idoneos maxime dirimendae sunt, non autem per internas et philosophicas rationes, seu coniecturas. Praeterea id confirmatur ex diligenti inspectione ipsorum subsidiolorum, ex qua manifesta fit eorum fallacia in pluribus casibus. Quod utinam attendissent recentiores philologi, quorum plurimi nimium concedentes huic philosophicae linguarum investigationi, neglectis testimoniis ac domestica traditione, plures novas et insuetas significationes vocibus tribuerunt, atque ita sensum plurimum locorum etiam Sacrae Scripturae omnino perverterunt. Itaque *investigatio etymologica* linguae antiquae, licet non spernendum subsidium praebeat in valore derivatorum vel compositorum perspicendo, per se tamen tutam normam non constituit. Saepe enim fit ut radices significatione in derivatis paullisper immutata sit ex consuetudine vel alia de causa, aut ex duplicis componentis significatione tertia quaedam in composito exurgat quae ex illis divinari non possit. Ita, ut e linguis notioribus exempla afferamus, graecum vocabulum $\alpha\lambda\gamma\alpha$ componitur ex $\alpha\lambda\alpha$ quod est *rursus*, et $\gamma\alpha\gamma\alpha$ quod est *cognoscere*, quis unquam posset ex his divinare significationem *legendi*, quae verbi illius propria est? ita etiam verbi $\alpha\lambda\gamma\alpha$ significatio *condemnandi* vix unquam colligi posset ex sola notione componentium. *Analogia linguae* et ipsa multa praestat comoda in linguarum usu dignoscendo: imprudenter tamen quis ei fideret, neglecta traditione ac fontibus. Nulla enim est lingua quae suas anomalias et exceptiones non habeat, in quibus proinde analogia

deficit, et in errorem inducere potest. Ita ex. gr. analogia latinae linguae est quod verba desinentia in *o* activa sint, passiva vero in *or*: falso tamen exinde concluderes verba *vapulo* et *veneo* activam significationem habere, aut viceversa *sequor* et *furor* passivam. Denique *comparatio externa*, seu cum dialectis vel linguis cognatis, multis erroribus occasionem praebere potest, etiamsi intra debitos limites contineatur, et non ad linguas nimis diversas extendatur, ut a nonnullis fit cum magna laboris ac temporis iactura. Sane, licet eadem vocabula vel radices in pluribus cognatis linguis reperiantur, non semper tamen significatio eadem mansit, ac proinde ab una lingua ad aliam conclusio non semper valet, nisi forte omnes omnino dialecti et linguae affines in eandem significationem conspirarent, quod validum certe argumentum, sed admodum rarum, praebere. Exempla fere innumera afferri possent ex linguis occidentalibus: ita ex. gr. vox *parentes* apud Latinos genitores designat, in linguis vero italica et gallica omnes propinquos; vox *pecus* apud Latinos genericam habet significationem, apud Italos vero *pecora* specificam pro ovis, vice autem versa voces *denarium*, *domina*, specificae apud Latinos, genericae vero apud Italos (*denaro*, *donna*) sonant. Ita etiam, verbum *stare* multo latiore significationem habet apud Italos et Hispanos quam apud Latinos. Multa alia exempla afferri possent ex linguis Germanica, Anglica, Batavica aliisque familiae Teutonicae inter se comparatis.

Haec pauca de usu loquendi generatim inspecto adnotasse sufficiat. Nunc ad rem nostram propius accedemus et considerabimus in specie usum loquendi biblicum, eius indolem, et rationem qua nobis discendus est. Verum operae pretium duximus hanc quaestionem in duas partes dividere; nam Scriptura Sacra ad nos pervenit, et in manibus fidelium versatur duobus modis, scilicet vel in textibus originariis, seu illa ipsa lingua, qua singuli libri a suis auctoribus scripti sunt, vel in variis versionibus, seu linguis ab originaria diversis, imprimis vero in Vulgata latina versione, quae solemniter ab Ecclesia probata est et authentica declarata. Cum igitur quaerimus notitiam usus loquendi biblici possumus hoc intelligere vel de usu loquendi, quatenus in textibus et linguis originariis sacrorum Librorum reperitur, vel de usu loquendi quatenus in versionibus extat, puta in versione Vulgata, quae licet

latina dicatur et sit, tot tamen peculiare loquendi modos praesert, ut vere dici possit proprium usum loquendi habere, necessario investigandum interpretibus et addiscendum. Itaque secundum hunc duplicem respectum distincte tractabimus de usu loquendi Sacrae Scripturae.

ARTICULUS II.

DE USU LOQUENDI BIBLICO DIRECTE CONSIDERATO IN TEXTIBUS ET LINGUIS ORIGINARIIS SACRAE SCRIPTURAE.

Quaenam sint linguae originariae quibus Sacri Libri conscripti fuerunt saepe in Critica Introductione diximus. Sunt scilicet tres: *Hebraica, Chaldaica, et Graeca*. Hebraica quidem lingua libri omnes proto-canonici V. T. exarati fuerunt, et in eadem lingua adhuc supersunt, et constituunt proprie dictum *Textum hebraicum*: Chaldaica lingua licet quidam integri libri conscripti fuerint nunc tamen tantummodo quaedam capita extant in Libro Danielis (II, 4 - VII, 28) et in Libro I Esdrae (IV, 8 - VII, 26). Demum Graecam linguam praesecerunt septem libri deuterocanonici eiusdem V. T. et integrum N. T. (1). Itaque nobis agendum est in hoc articulo cum de usu loquendi hebraico V. T., cui affinis est chaldaicus partium Danielis et Esdrae, tum de usu loquendi graeco Hagiographorum utriusque Testamenti. De utroque vero triplicem quaestionem instituemus: 1^o De peculiari indole seu natura praefati usus loquendi. 2^o De eius notitiae utilitate atque valore in hermeneutica Biblica. 3^o De recta methodo linguae Biblicae ediscendi, quatenus id cum recta Scripturarum intelligentia connectionem habet.

(1) Haec intelligenda sunt texta ea quae diximus in Critica Introductione, scilicet quod nonnulli ex laudatis libris a suis auctoribus prodierunt lingua aliqua Semitica, idest vel Hebraica, ut Barnuch, I Machabaeorum et Ecclesiasticus, vel Chaldaica, ut Judith et Tobias, vel dialecto Syro-chaldaica aut Hierosolymitana, ut Evangelium Matthaei, nunc tamen, deperditio originali textu, horum librorum Graeca versio ad instar textus habetur: coeteri vero originario in lingua Graeca apparuerunt.

§ I. De indole hebraici et graeci Textus Sacrae Scripturae.

Seorsim dicendum est primum de textu hebraico et chaldaico, tum vero de textu graeco.

I. De Textu hebraico eiusque indole pauca adnotasse sufficiat: cum enim alii libri praeter Sacram Scripturam non supersint Hebraica lingua conscripti ante eiusdem linguae fatum, quidquid grammatici et philologi de hebraico sermone tradunt ad Sacrum textum omnino pertinet, et ab iis propterea ediscendum est. Praestabit tamen pauca ex his colligere, aut in mentem revocare.

Lingua Hebraica ad illam linguarum familiam pertinet, quas veteres solebant *Orientalis* appellare, recentiores vero *Semiticae* vocare amant, quamvis neutra appellatio accurata sit. Praecipuus huius familiae ramus constituitur ipsa lingua Hebraica, una cum *phoenicia, et punica*, seu carthaginiensi, quae vix ab ea differant, et dialecto, uti aiunt, *neo-hebraica*, quam recentiores Iudaeorum doctores ex veteri lingua cum extraneis elementis plus minus commixta, et in formis leviter immutata, sibi paulatim efformarunt. Diu inter criticos quaestio agitata est, utrum lingua Hebraica primitiva generis humani lingua dicenda sit, ab ipso Deo proto-parentibus communicata. Antiquiores plerique affirmabant, recentiores fere omnes negant: ex progressu enim philologiae comparatae, seu scientiae, uti vocant, linguisticae, philologi plerique in hanc sententiam devenerunt, primitivam hominum linguam nusquam amplius existere sed eius tantum vestigia et veluti fragmenta in linguis nunc notis superesse ac praecipue in illis quae antiquiores sunt, et linguae *matres* seu stipites familiarum appellantur. Non est hic locus argumenta hinc inde afferri solita exponendi aut propugnandi (1).

Licet hebraica lingua in variis libris V. T. paullisper differat,

(1) Qui pleniorum harum rerum notitiam cupiunt adire possunt celeberrimos linguisticae scientiae tractatores, Schlegel, Adelung, Müller aliosque recentiores; ex his tamen plerique cum magna cautela legendi sunt, utpote qui vel praedudicis occupati, vel scientiae religionis ignari saepe erroneas aut periculosas opiniones sequuntur. Placeat tirones remittere ad duas priores *praelectiones* Card. Wiseman *De connectione inter scientiam et revelatam religionem*, nec non ad alium auctorem nunc parum notum, sed eruditione et solido iudicio praestantissimum P. Bonif. Finetti in: *Trattato della Lingua Ebraica e sue affini*, Venezia 1756. Lezione 1. et 3.